

ad Deum late et metaphorice dicitur obedientia, quia potius est necessitas quædam naturalis: lex autem æterna, quatenus per illam moraliter et politice rationalia gubernantur, habet propriam rationem legis, et illi respondet propria obedientia. Ut autem supra dixi, sub hac potissimum ratione in hac materia consideranda est; et ideo sub propria appellatione ad irrationalia non extenditur.

14. *An omnes actiones humanæ sint materia legis æternæ.* — Ulterius vero inquiri potest an omnes actiones morales, seu humanæ, sint materia hujus legis æternæ. Et de malis quidem nulla est dubitandi ratio, quia omnes illæ prohibentur hac lege, ut supra declaratum est. De indifferentibus vero est nonnullum dubium, quia illæ nec vetantur nec præcipiuntur, et ita nullius legis videntur esse materia in mente Dei. Idem, vel majus dubium est de bonis operibus, quæ ad finem non sunt necessaria, sed sunt excellentiora. Propter hoc dicunt aliqui, si lex illa proprie sumatur, ut consistit in imperio, non extendi ad hujusmodi materiam; generalius autem sumptam comprehendere illam, quatenus amplectitur quamcumque dispositionem gubernatoris, sub qua etiam permissio et consilium comprehenduntur: nam permissio cadit in actus indifferentes; consilium vero in excellentiores.

15. Verumtamen absolute affirmari potest omnes actiones morales cadere aliquo modo sub lege æterna, etiam ut proprie præceptiva est. Quod potest declarari, applicando quamdam distinctionem datam in superioribus de lege præcipiente, vel exercitium actus, vel solam specificationem et modum ejus. Dicimus ergo prædictos actus esse materiam legis æternæ, vel imperantis exercitium, vel præscribentis modum operandi, aut prohibentis alium. Declaratur: nam imprimis quoad actus bonos, seu optimos, juxta doctrinam Augustini fere nullum est opus consilii, quod in præparatione animi non possit ad præceptum pertinere, si ad divinam gloriam tale opus necessarium sit. Quod maxime verum est in ordine ad legem æternam, per quam Deus obligat hominem, ut sit paratus ad hæc omnia opera præstanda, si ipse voluerit, vel si ex alia occasione necessaria fuerint. Sicut matrimonium, quamvis non sit opus consilii, sed ex bonis inferioribus, nec regulariter cadat sub præceptum: ex lege naturæ cadit sub obligationem, si ad conservationem speciei sit necessarium, et ita etiam cadit sub legem æternam. Sic ergo nullum est opus bonum,

quod sub illam legem, ut imperantem, non cadat. Deinde quando exercitium talium actuum necessarium non est, licet tantum consili vel probari videantur; nihilominus etiam tunc per legem æternam præscribitur modus quo fieri debent, ut recte fiant, et sic dicimus cadere sub legem præscribentem modum, seu specificationem actus. Et idem est clarum in actibus indifferentibus: nam si fiant, præcipiuntur fieri propter honestum finem, et prohibentur fieri propter se, et ita si præcise spectentur, quatenus talia sunt, dici possunt cadere sub illam legem, ut prohibentem, juxta probabilem sententiam D. Thomæ, quæ asserit non posse dari opus humanum indifferens in individuo. Sicque duo præcepta intelligi possunt in lege æterna circa hæc opera: unum est faciendi illa propter bonum et honestum finem, si fiant: aliud est prohibens illa facere propter se ipsa, sicut prohibetur verbum otiosum.

16. *Quo sensu Augustinus asseruit nihil posse effugere imperium legis æternæ.* — Atque hinc tandem intelligere licet, quo sensu verum sit quod Augustinus, locis supra citatis et sæpe alias, repetit, nihil esse quod possit omnino subterfugere imperium legis æternæ, neque in cælo, neque in terra, neque in inferno, sive peccando, sive recte operando. Nam licet peccando agat quis contra unam legem æternam DEI, in aliam præcipientem incidit, quæ jubet, ut quantum in actione homo deficit, tantum per passionem compensetur: ut dixit D. Thomas, quæst. 93, art. 6, cum Augustino, lib. de Catechizand. rudib., cap. 18, dicente: *Novit Deus ordinare deserentes se animas, et ex earum justa miseria inferiores partes creature suæ, convenientissimis et congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ordinare.* Et huc etiam spectat quod ait Augustinus, lib. 1 Confess., cap. 12: *Jussisti Domine, et sic est ut omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pœna.* Si quis autem recte consideret, lex illa præcipiens, quæ in malis impletur per pœnam, et in justis per præmium non spectat ad legem præceptivam moralium actuum respectu creaturæ intellectualis, sed est lex taxativa (ut sic dicam) talis pœnæ vel præmii, quæ lex per efficaciam divinæ providentiæ ad effectum perducitur.

CAPUT III.

AN LEX ÆTERNA SIT ACTUS DIVINÆ MENTIS, RATIONE AB ALIIS DIFFERENS, ET AN UNA SIT VEL PLURES.

1. Ex dictis hactenus constat legem æternam in divina mente esse, quia extra illam nihil est æternum. Item constat esse per modum actus secundi et ultimi; nam lex prout est in legislatore, in hujusmodi actu consistit, non in habitu, vel actu primo, et præsertim in Deo, qui est purissimus actus. Inquiri ergo potest, an sit in intellectu, vel in voluntate: nam quæstionem hanc indecisam et ambiguum reliquisse videtur Augustinus, 22 contra Faust., cap. 27, dicens: *Lex æterna est ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari iubens, et perturbari vetans.*

2. *An lex æterna sit actus liber Dei, vel necessarius.* — *Opinio aliquorum confundentium ideas cum lege æterna.* — Prius autem quam ad hoc respondeamus, ulterius inquirimus an lex æterna dicat actum liberum in Deo, vel necessarium. Aliqui enim dicunt, legem æternam non esse, nisi ideas divinas, per quas res ad extra producuntur, quia non putant hanc legem esse ad præcipiendum, sed solum ut sit regula, ad cuius instar omnia a Deo fiunt. Ex qua sententia videtur inferri, quod sicut ideæ naturaliter et non libere sunt in intellectu divino, ita et lex æterna.

3. *Resolutio.* — *Lex æterna est in actu libero Dei.* — *Differentia inter ideam et exemplar.* — Dicendum vero est legem æternam non dicere actum necessarium in Deo, sed liberum. Ita sentiunt D. Thomas, Alensis et alii, locis allegatis. Et sumitur ex verbis Augustini proxime citatis; nam lex æterna habet pro materia opera Dei ad extra: nam jubet servari ordinem naturalem, et prohibet illum invertere: ordo autem naturalis non est, nisi in rebus creatis; ergo sicut hæc opera libera sunt, ita et lex æterna involvit respectum liberum. Confirmatur; quia non potest lex esse sine respectu ad ea quæ per illam gubernanda sunt; sed lex æterna non imponitur Deo, vel personis divinis, ut dictum est; ergo est propter creaturas: ergo dicit respectum liberum ad illas. Unde D. Thomas, quæst. 91, artic. 1, ad 1: *Æternus* (inquit) *divinæ mentis conceptus habet rationem legis æternæ, secundum quod ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum.* Quocirca ad illud de idea primo negari potest le-

gem æternam, ut lex est, dicere rationem ideæ, quia idea magis constituitur ut principium operandi ex parte ipsius artificis, quam per modum præcepti, vel impulsus respectu rei per ideam producendæ; et ita verisimilius est legem et ideam ratione differre, ut ex dicendis amplius constabit. Deinde vero addo, etiam juxta illam sententiam convenientius dici, non ideam secundum se, sed ut est exemplar, habere rationem legis æternæ. Differt enim idea ab exemplari, quod idea est mere naturalis in Deo, unde est etiam de rebus possibilibus: exemplar autem involvit respectum liberum, quia exemplar involvit causalitatem aliquo modo actualem; ita ut aliquid ad illius imitationem fiat, vel futurum sit. Ita ergo lex dicere posset ideam, ut est sub illo respectu, et non ut simpliciter necessaria est.

4. *Lex æterna includit seu postulat actum divinæ voluntatis.* — Atque hinc quoad prius dubium, concluditur legem æternam necessario includere, seu postulare actum divinæ voluntatis, quia libertas etiam Dei est formaliter in voluntate divina: sed lex æterna est aliquid liberum in Deo: ergo includit voluntatem. Et hac ratione etiam in lege æterna verum est, quod supra diximus, nullam legem, ut sic, esse simpliciter necessariam, quia etiam æterna lex, quatenus libera est, non est simpliciter necessaria. Neque hoc repugnat ejus æternitati, quia etiam aliquid liberum intra Deum, potest esse æternum. Neque etiam repugnat ejus immutabilitati, quia decreta libera etiam sunt immutabilia.

5. *Objectio.* — *Solutio.* — Unde infertur ulterius, legem æternam non esse in actibus divini intellectus, prout antecedunt ratione decreta libera Dei. Probatur, quia in illis, ut sic, non est libertas: ergo nec lex. Item ob hanc rationem nec providentia, nec prædestinatio intelliguntur in intellectu divino ante omne decretum liberum voluntatis, quia tam providentia quam prædestinatio dicunt actum liberum: ergo nec lex æterna potest intelligi in divino intellectu ut sic spectato. Dices: in intellectu divino, ut sic concepto, sunt dictamina legis naturalis, ut, *Non est mentiendum, servandum est promissum, puniendæ sunt mala,* et similia; ergo saltem quoad hæc invenitur lex æterna in divino intellectu ante omnem liberum voluntatis actum. Unde ita videntur de lege æterna sensisse Cicero libro 2 de Legibus, et alii Philosophi de illa tractantes. Nihilominus respondeo, si illa dictamina considerentur in ordine ad ipsam voluntatem di-

vinam, id est, quatenus dictant de volendis ab ipso Deo, ut sic, non habere rationem legis, ut jam declaratum est: si vero considerentur in ordine ad voluntatem creatam, quatenus dictant, quid ab illa faciendum sit, aut vitandum, etiam non habent rationem legis, donec ad illa accedat voluntas divina, quia non sunt imperia, nec practice movent, sed sunt quasi speculativa cognitio talium objectorum, ut in sequentibus tractando de lege naturali explicabimus.

6. *Lex æterna formaliter consistit in decreto libero Dei statuentis ordinem servandum in partibus universi in ordine ad bonum commune.*—Secundo ex dictis infertur, satis convenienter dici posse, legem æternam esse decretum liberum voluntatis Dei statuentis ordinem servandum, aut generaliter ab omnibus partibus universi in ordine ad commune bonum, vel immediate illi conveniens ratione totius universi, vel saltem ratione singularum specierum ejus, aut specialiter servandum a creaturis intellectualibus quoad liberas operationes earum. Probatur primo ex dictis in libro præcedenti, c. 5. Deinde addi potest sententia Damasceni, libro 2 de Fide, cap. 12, ubi, cum retulisset sententiam Gregorii Nazianzeni, orat. 2, de Paschate, dicentis oportuisse post creaturam spirituales et corpoream condere creaturam ex utraque compositam, subdit ipse: *Hoc autem vocabulo, oportebat, nihil aliud a me indicatur quam opificis voluntas. Hac enim nec lex, nec sanctio ulla congruenter fingi excogitari potest*, etc. Facit etiam quod Augustinus, l. 2 de Civit., cap. 19, dicit: *In cælesti et angelica curia voluntas Dei lex est.* Eadem ergo est lex æterna totius universi, licet specialiter tribuatur cælesti curiæ, quia ibi Dei voluntas in seipsa cognoscitur, et quia illa est proxima, et principalis regula operandi omnibus Beatis.

7. Præterea eo modo quo Deus dicitur præcipere rebus intellectu carentibus, non per intellectum, sed per voluntatem proxime et immediate præcipit, quia non præcipit eis loquendo, sed faciendo; at immediatius per voluntatem, quam per intellectum operatur, ut ex 4 parte suppono; ergo lex æterna, quatenus circa hæc inferiora versatur, recte intelligitur esse in voluntate Dei ordinantis unicuique dare talem naturam, inclinationem, situm, etc. Ut, verbi gratia, lex illa de qua dicitur Proverb. 8: *Et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*, considerata ut temporalis, et extra Deum constituta, nihil aliud est quam naturalis inclinatio indita aquæ ad ita

quiescendum in suo loco, ut non sursum ascendat, sed terminis naturæ suæ contineatur, ut Job 38 et Psalm. 103 significatur; ergo lex illa, ut in æternitate existit in mente Dei, nihil aliud est quam voluntas Dei, qua decrevit aquas constituere in tali loco, et talem inclinationem eis tradere, ut non transirent fines sibi præscriptos, et sic de aliis. Sic ergo lex æterna, metaphorice (ut sic dicam) concepta in ordine ad res mere naturales et irracionales, recte in voluntate Dei constituitur.

8. Idemque est de illa lege, quatenus disposuit aliquid circa creaturas intellectuales operari, sine illarum libera cooperatione, ut sunt ea quæ vel illæ, ut naturæ quædam sunt, naturali necessitate operantur, vel Deus ipse in eis, sine illarum libera cooperatione operatur, ut creando illas, illuminando, vocando, vel alio simili modo præveniando, aut etiam præmiando, vel puniendo. Si vero consideretur illa lex æterna ut proprietatem legis habet in ordine ad moralem obligationem creaturarum intellectualium; sic erit voluntas Dei æterna, secundum quam operari debent voluntates rationales, ut bonæ sint. Nam, ut dixit Augustinus, lib. 83 Quæst., q. 27: *In sola bona voluntate secundum legem agimus; in cæteris autem secundum legem agimur, cum lex ipsa incommutabilis maneat*, etc. Et juxta hæc possunt hic applicari quæ de hac sententia generaliter dicta sunt superiori libro, cap. 5.

9. *In quo actu intellectus lex æterna est constituenda, si in illius actibus formaliter consistat.*—Si quis autem, juxta ea quæ ibi diximus, voluerit hanc legem æternam in divino intellectu considerare, non erit difficile id explicare. Oportet tamen ut eam consideret in intellectu divino, ut subsequente secundum rationem dictum decretum voluntatis Dei. Negari enim non potest quin illud decretum sit veluti anima et virtus hujus legis, a qua tota vis vel obligandi, vel inclinandi efficaciter descendit: tamen supposito illo decreto, intelligi potest in mente Dei cognitio illius decreti, quæ ad illud subsequitur, et quod ratione illius jam intellectus divinus judicat determinate, quæ ratio tenenda sit in gubernatione rerum, atque ita in se præconcepere legem, quæ unicuique rei suo tempore præscribenda est. Et ita intelligi quod D. Thomas, d. q. 92, art. 1, ait, *conceptum Dei æternum, secundum quod a Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso progeneratarum, esse legem Dei æternam*; quia illa ordinatio non est aliud quam decretum voluntatis, quod explicuimus, quod ut cognitum

ab intellectu determinat illum ad talem rerum gubernationem secundum talem rationem, seu legem: et fortasse quia utrumque concurrat ad legem, et utrumque suo modo et in bono sensu verum est, ideo D. Augustinus contra Faustum sub disjunctione est locutus.

10. *De distinctione inter legem æternam Dei et illius ideas.*—Tertio, ex dictis satis constat quomodo distinguatur ratione lex æterna ab ideis. Nam si lex illa constituatur in decreto voluntatis, clara est distinctio: nam ideam certum est esse in intellectu: si vero loquamur de illa lege, prout est in intellectu, aliqui non constituunt distinctionem, præsertim si de ideis, ut sunt exemplaria, loquamur. Nihilominus D. Thomas, q. 93, art. 1, hæc duo expresse distinguit, et in ejus doctrina potest variis modis distinctio explicari. Primo, quia ideæ proprie sunt circa rerum creationem, seu productionem: lex vero magis versatur circa rerum gubernationem, ut D. Thomas supra tradidit: unde sicut distinguuntur ideæ a providentia, ita et a lege æterna distinguendæ sunt. Secundo, propria differentia esse videtur supra insinuata, quod idea solum habet rationem exemplaris respectu ipsiusmet Dei, ut secundum illam operetur, et sic concurrat solum (ut sic dicam) ad specificationem operum Dei: lex autem divina, ut lex, habet potius rationem moventis et imprimentis inclinationem, vel obligationem ad opus: quæ diversa habitudo sufficientissima est ad distinctionem rationis. Denique hinc etiam est, quod lex, ut lex, imponitur subditis, seu inferioribus: ordinat enim lex, quid res subjæctæ operaturæ sint, unaquæque juxta modum suum: idea autem non imponitur proprie rei in illa re præsentatæ, sed ponitur formaliter in mente artificis, ut secundum illam operetur: est ergo clara distinctio.

11. *De distinctione inter legem æternam Dei et illius providentiam.*—Quarto, etiam intelligi potest ex dictis quomodo lex æterna distinguatur a providentia, de qua etiam solet dubitari an in intellectu vel voluntate constituatur: nam utriusque actum includit. Ut ergo providentia et lex comparentur, debent cum proportionem conferri, videlicet, quatenus utraque est in voluntate, vel utraque in intellectu: et sic videntur non distinguuntur etiam ratione. Quia providentia est ratio gubernationis rerum omnium ex æternitate existens in mente divina: sed hoc ipsum est lex æterna in sua generalitate sumpta, ut sumitur ex D. Thoma, dicta q. 92, art. 2, ad 1; non videntur ergo

distingui ut duo attributa, sed esse idem, quod sub diversis considerationibus diversa nomina recipit. Quod si lex æterna non cum illa amplitudine sumatur, sed restricte et proprie, quatenus circa creaturas intellectuales versatur, et illas proprie obligat: sic erit quædam pars divinæ providentiæ. Nam ad providentiam Dei spectat leges ponere rationalibus creaturis: imo hæc est magis specialis, et propria gubernatio moralis consentanea naturis intellectualibus, quarum Deus habet specialem curam, ut significavit Paulus, 1 ad Corinth. 9; ergo semper lex æterna cum providentia coincidet, si cum proportionem comparentur. Atque ita videntur sentire de lege æterna, et providentia D. Thomas supra, et q. 93, art. 1 et 4, et Alensis, dicta q. 26, memb. 1, et favet Augustinus supra, et lib. de vera Relig., cap. 30 in fine, et 31 in princip., et dict. lib. 83 Quæst., quæst. 27.

12. *Resolutio.*—Sed nihilominus D. Thomas, q. 5 de Veritate, art. 1, ad 6, distinguit legem æternam a providentia, dicens: *Providentia non nominat legem æternam, sed aliquid ad legem æternam consequens*, et ita declarans addit legem æternam comparari ad providentiam, sicut principium generale ad particulares conclusiones, seu actiones, sicut in nobis principia prima practica comparantur ad prudentiam. Et ita exponit actus providentiæ, seu effectus attribui legi æternæ tanquam principio, unde manant, non tanquam proximo dictamini de tali opere in particulari efficiendo. Quod potest amplius ita explicari: nam ratio divina, ut habet rationem legis, constituit veluti generales regulas secundum quas res omnes moveri debent et operari: providentia vero de singulis rebus et actibus in particulari disponit, et ita est veluti ratio exequendi et applicandi legem. Videturque hoc consentaneum proprietati ipsarum vocum: nam lex dicit jus in communi constitutum, ut supra visum est: providentia vero dicit curam quæ de singulis actibus haberi debet.

13. *De effectibus legis æternæ.*—Unde obiter potest quinto intelligi per comparisonem ad providentiam, quos effectus habeat lex æterna. Solet enim quæri an lex æterna habeat omnes effectus quos habet providentia. In qua comparisonem sumenda est lex æterna in tota sua latitudine. Nam si sumatur specialiter ut lex proprie præcipiens moraliter creaturis intellectualibus, sic clarum est non omnes effectus providentiæ esse effectus legis æternæ, sed solos actus bonos morales, quia naturales effectus

non procedunt a lege æterna, sub hac ratione spectata: boni autem actus morales sunt effectus æternæ legis, quia ad illos de se movet et obligat: mali autem effectus morales non sunt effectus legis æternæ, ut mali sunt, licet sint materia legis æternæ prohibentis illos, sicut etiam non sunt effectus providentiæ, quia non sunt effectus Dei sub ea ratione, licet sint materia providentiæ; tum quatenus illam prohibito pars est, vel quasi principium providentiæ, juxta modum loquendi D. Thomæ: tum etiam quatenus permittuntur per divinam providentiam, et puniuntur, et ad aliquod bonum ordinantur. Atque hoc modo peccatum ut peccatum, licet simpliciter non sit ex lege æterna, nec secundum illam, imo contra illam, quoad materiale est ex lege æterna, qua Deus statuit cum creaturis concurrere, et punitio ejus est etiam ex lege æterna. Et ita qui peccant, ut ait Augustinus in Enchir., cap. 100: *Quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id facere voluerunt; hoc quippe ipso, quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus.* Et simili ratione de peccatore dicit, libr. 4 Confess., cap. 9: *Quo it, aut quo fugit, qui te dimittit, nisi a te placido ad te iratum? Nam ubi non invenit legem tuam in pœna sua?*

14. *Objectio.*—*Solutio.*—At vero loquendo de lege æterna secundum totam suam amplitudinem, omnes effectus providentiæ possunt dici aliquo modo effectus legis æternæ, quia tota gubernatio providentiæ divinæ continetur tanquam in principio in lege æterna, et ita omnis effectus providentiæ in lege æterna radicatur (ut sic dicam). Ita sentit D. Thomas, d. q. 5 de Verit., art. 1, ad 6, et sumitur ex locutionibus Augustini in locis citatis. Dices: lex fertur in generali; Deus autem per providentiam suam interdum operatur præter legem; ergo ille effectus non poterit dici esse a lege æterna, licet sit a providentia; ut solem aliquando quiescere, effectus est divinæ providentiæ, non tamen legis æternæ, quia potius lex æterna est ut continue moveatur. Respondetur, legem æternam esse universalissimam, et quod videtur discrepare ab una ejus parte, vel esse quasi dispensationem ejus, alia via esse consentaneum eidem legi æternæ secundum aliam partem: ut in exemplo dicto, licet quiescere solem non sit ex lege æterna præscripta de ordine servando in motibus celorum, imo sit dispensatio ejus, nihilominus est conformis alteri, qua Deus vult orationes ami-

corum exaudiri, si debito modo et ex justa causa fiant. Unde Augustinus, 26 contra Faust., cap. 3: *Appellamus naturam cognitum nobis cursum, solitumque naturæ, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur: contra illam vero summam naturæ legem a notitia remotam, tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit.*

15. *An lex æterna sit una vel multiplex.*—Sexto et ultimo, ex dictis definiri potest quæstio, an lex æterna dicenda sit una, vel plures. In qua D. Thomas, dist. quæst. 93, a. 1, ad 1, sentit esse unam, ita ut neque ratione multiplicetur: nam constituit in hoc differentiam inter ideas et legem, quod ideas multiplicantur, cum lex æterna una tantum sit. Idem sentire videtur Vincentius supra citatus. Hæc tamen differentia non est facilis ad intelligendum, quia ideas non multiplicantur secundum rem, sed solum secundum diversos respectus rationis ad objecta: sic autem etiam multiplicantur præcepta, et leges in mente Dei. Sicut dicebamus paulo antea, alium esse legis modum circa res carentes ratione, et alium circa habentes rationem: et respectu harum potest in mente Dei distinguere lex mere naturalis vel positiva. Quod si dicas, ex his omnibus consurgere unam simplicissimam, et adæquatam legem respectu totius universi: eodem modo dici poterit dari in mente Dei unam adæquatam ideam universi, cujus aliæ, quæ ratione distinguuntur, sunt veluti partes. Unde Augustinus, lib. 1 de lib. Arb., cap. 5 et 6, et lib. de vera Relig., cap. 30 et 31, et sæpe alias, singulariter legem æternam vocat: in 9 de Civit., cap. 22, pluraliter dicit æternas et immutabiles esse leges quæ in divina sapientia vivunt, et lib. de Catechizand. rudib., cap. 18, dicit Deum convenientissimis legibus inferiores partes creaturæ ordinare posse.

16. *Resolutio auctoris.*—Tota vero hæc quæstio est de modo loquendi, satisque probabile est quod docet Alensis, dist. quæst. 26, membr. 6, sub diversis rationibus posse legem æternam vocari unam, et plures secundum rationem: nam simpliciter, et secundum se una est, et simplicissima, ut constat: in se tamen complectitur plures leges ratione distinctas, ut ratio facta probat. Neque hoc est novum: nam lex naturalis una dicitur, et plura continet præcepta, licet modo longe diverso: nam in lege naturali est unitas collectionis, in lege autem æterna est per summam simplicitatem. Addere vero possumus propter divum Thomam, esse majorem aliquam ratio-

nem unitatis in lege quam in idea: nam idea solum dicit habitudinem ad exemplar, seu exemplatum, et ideo distinctionem rationis recipit pro diversitate exemplarium: lex autem sicut et providentia respicit bonum commune, ut finem, et ideo omnia præcepta quæ ordinantur ad finem ejusdem rationis, censentur unum jus et unam legem constituere. Unde quia Deus respicit universalissimum finem, lex quæ est in ejus mente dicitur una, sicut et providentia.

CAPUT IV.

UTRUM LEX ÆTERNA SIT CAUSA LEGUM OMNIUM, ET PER ILLAS INNOTESCAT ET OBLIGET.

1. Explicuimus rationem, universalitatem et necessitatem legis æternæ: de causis autem ejus non est quod dicamus, quia cum sit Deus ipse, nullam habet causam, sed ad summum potest habere rationem, eo modo quo vel divina voluntas est ratio præcipua divinæ legis, ut posita est in Deo ex æternitate, vel quo divina sapientia dici potest ratio justissimæ voluntatis ejus, in qua efficacia hujus legis posita est, ut explicuimus, et ideo de causis hujus legis nihil superest dicendum. De effectibus autem ejus quantum ad actus qui per ipsam imperantur, vel ex impressione ipsius fiunt, obiter etiam diximus quæ pro materiæ capacitate necessaria visa sunt. Solum ergo superest dicendum de proximo, et quasi intrinseco effectui legis, qui est obligare subditos, quomodo in legem æternam conveniat. Et ut hoc punctum, quod morale est, sine verborum ambiguitate tractetur, suppono sermonem esse de lege æterna, ut est proprie præceptiva respectu hominum (et idem cum proportionem de Angelis); nam prout extenditur ad inferiores creaturas, clarum est non inducere obligationem propriam, sed instinctum, vel inclinationem, aut impetum naturaliter determinantem ad unum: qui effectus neque ad propriam legem pertinet, neque aliam doctrinam requirit, præter philosophicam.

2. *Lex æterna præceptiva sufficienter promulgata vim obligandi habet.*—De lege igitur æterna sic spectata dicimus habere vim obligandi de se, si sufficienter promulgetur et applicetur. Probatur, quia alias non esset vera et propria lex, cum de ratione legis sit obligare, ut supra ostensum est. Item, quia Deus habet supremam potestatem imperandi: ergo et obligandi (nam superioris præceptum obligatio-

nem inducit), sed per suam legem æternam imperat (non enim incipit in tempore suum imperium concipere): ergo per eandem obligat. Dices, ergo obligat ab æterno, cum ipsa sit æterna: consequens est clare falsum: ergo. Respondetur negando consequentiam: nam providentia æterna est, et non ab æterno gubernat, quia gubernare dicit actionem transeuntem circa creaturas actu existentes; ita ergo lex æterna ab æterno ponitur, non tamen ab æterno obligat, sed in tempore, quia obligare dicit respectum ad creaturas actu existentes. Hoc ergo posito, declarandum superest quomodo hæc lex obliget, an, scilicet, immediate per se ipsam, vel mediis aliis legibus quæ ab ipsa manant.

3. *An cæteræ leges ab æterna vim obligandi habeant.*—*Ratio dubitandi.*—Ad hoc autem explicandum, tractandum est præcipuum dubium propositum de origine legum omnium a lege æterna, quod aliis verbis quæri solet, an omnes leges sint effectus legis æternæ, ac ejus participationes, ita ut ab illa vim obligandi habeant: ratio autem dubitandi esse potest, quia vel est sermo de lege divina, vel de humana: sed neutra potest proprie dici effectus legis æternæ: ergo. Minor quoad priorem partem probatur: quia lex divina est imperium ipsiusmet Dei: ergo est in ipso Deo: ergo ex æternitate est in ipso: ergo est ipsa lex æterna: ergo non est effectus ejus. Quoad posteriorem autem partem probatur, quia si lex humana esset effectus legis æternæ, ab illa participaret vim obligandi: ergo obligaret ex jure divino, et non humano, quod est clare falsum. Probatur autem ultima illatio: nam lex naturalis obligat ex divino jure, solum quia est participatio legis æternæ: ergo si lex humana est similis participatio, eodem jure obligabit.

4. *Resolutio affirmativa.*—Nihilominus, dicendum est primo omnem legem aliquo modo esse a lege æterna, et ab illa habere vim obligandi. Hæc est D. Thomæ sententia, d. q. 93, art. 3, Alensis, d. q. 26, membr. 7, et aliorum theologorum. Et sumitur ex Augustino, lib. de vera Relig., cap. 31, ubi hanc vocat *legem omnium artium*, et paulo inferius: *Conditor (ait) legum temporalium, si vir bonus est et sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundum ejus incommutabiles regulas quid sit pro tempore jubendum, vetandumque discernat.* Hac etiam ratione dixit idem Augustinus, tract. 6 in Joan.: *Ipsa jura humana per imperatore.*